

LECCION XIV.

A cada edad conviene un género diferente de elocuencia.

Oportet enim ut senilis sermo non solum sit gravis, sed etiam brevis. (S. Aug., serm. CCCL, tom. v, fol. 1535.)

Sicut est enim quædam eloquentia quæ magis ætatem juvenilem decet, est quæ senilem; nec jam dicenda est eloquentia, si personæ non congruat eloquentis: ita est quædam, quæ viros summa auctoritate dignissimos planeque divinos decet. (Habla de los escritores sagrados.) (S. August.: *De Doctr. christ.*, lib. iv, cap. vi, tom. iii, fol. 93.)

San Juan Crisóstomo expone la misma doctrina. (Hom. XI, inédita, tom. xii, fol. 395.)

Eritque post septuaginta annos Tyrus ut canticum metricis. Vide quibus verbis utatur Propheta, nec refugiat verborum istiusmodi vilitatem. Nos interdum refugimos; non quod nobis, quam illis lingua sit castior, sed auctoritas inferior. Major enim vis rerum in talium expressione sermonum est; ut qui delicta non erubescunt, erubescunt vel nomina dilectorum. (S. Ambr.: *De Elia et jejuniis*, cap. xx, tom. ii, fol. 30, ed. de Venecia.)

Los Santos Padres no copiaban los sermones de otros, ni á una repetían sus propios discursos.

Sabemos que San Cipriano tuvo á la vista, al exponer la oracion dominical, el trabajo sobre la misma de Tertuliano; San Ambrosio para su Hexaemeron el de San Basilio; y tambien en su libro *De Elia et jejuniis* tomó mucho sobre la embriaguez, de la homilía del mismo San Basilio *in ebrios*; pero imitar no es copiar.

S. Joann. Chrysost., hom. in proditionem Judæ, tomo ii, fol. 376.—Hom. in divinam, etc. et de proditione Judæ, fol. 386.—In cruce et de latrone, etc., tom. ii, fols. 403 y 411.

Los cuatro sermones de San Agustin: *De oratione dominica*, desde el LVI al LIX, están en el tom. v, folios 377 y 402.

S. Cyprianus, epist. ad Fortunatum, fol. 608. El mismo método recomienda y practica en su tratado: *Testimoniorum*, lib. iii, fol. 627.

LECCION XV.

Necesidad de coordinar los pensamientos.

Quantus enim tumultus est in mente dictantium, ubi multitudo perstrepat dictionum, ubi orationum varietas, et diversitas sensuum concurrunt? Ubi sæpe respuitur quod occurrit, et requiritur quod excidit? Ubi quid pulchrius secundum litteram, quid consequentius juxta sententiam, quid planius propter intelligentiam, quid utilius ad conscientiam, quid denique, cui, vel post, vel ante ponatur, intensissime attenditur; multa quæ à doctis in hujusmodi curiosius observantur? Et tu in hoc mihi dices esse quietem? tu hoc, etiamsi lingua sileat, silentium nominabis? (S. Bernard., ad Oger., Epist. LXXXIX, n. 1, tom. i, fol. 95.)

Unidad.

Quantum autem ad speciem rebus imponendam valeat Dei similitudo, per quam facta sunt omnia, quamquam humanas cogitationes altissime superet, licet tamen utcumque arbitrari, si consideremus omnem naturam, sive quæ sentientibus, sive quæ ratiocinantibus occurrit, similibus inter se partibus servare unitatis effigiem. Nam ex sapientia Dei sapientes vocantur animæ rationales, et ulterius hoc nomen non porrigitur: nam neque ulla pecora, et multo minus arbores, aut ignem vel aerem, vel aquam, vel terram, sapientem possumus dicere, quamquam per ipsam Dei sapientiam sint etiam omnia hæc in quantum sunt. At vero similes inter se et lapides dicimus, et animalia, et homines, et angelos. Jam vero in singulis rebus, et terram, eo quod similes inter se habeat partes suas, fieri ut terra sit; et aquam qualibet quoque parte similem esse cæteris partibus, nec aliter aquam esse potuisse; et quantumlibet aeris, si cætero esset dissimile, nullo pacto aerem esse potuisse; et ignis lucisve particulam, eo quod non sit dissimilis reliquis partibus, fieri ut sit quod est: ita de unoquoque lapidum vel arborum vel corpore cujuslibet animantis discerni et intelligi potest, quod non solum cum aliis sui generis rebus, sed in seipsis singulis non essent, nisi partes inter se similes haberent. Et tanto est pul-

chrius corpus, quanto similibus inter se partibus suis constat. Jam porro animarum, non solum aliarum cum aliis amicitia similibus moribus confit; sed etiam in unaquaque anima similes actiones atque virtutes, sine quibus constantia esse non potest, beatam vitam indicant. Similia vero omnia hæc, non autem ipsam similitudinem possumus dicere. Quapropter, si rebus inter se similibus universitas constat, ut singulæ sint quidquid sunt, et omnes ipsam universitatem compleant, quam Deus et condidit et gubernat; per similitudinem ejus profecto, qui condidit omnia, supereminentem atque incommutabilem et incontaminabilem talia facta sunt, ut similibus inter se partibus pulchra sint, ad ipsam tamen similitudinem omnia non facta sint, sed sola substantia rationalis: quare omnia per ipsam, sed ad ipsam non nisi anima.

Rationalis itaque substantia, et per ipsam facta est, et ad ipsam: non enim est ulla natura interposita. Quandoquidem mens humana (quod non sentit, nisi cum purissima et beatissima est) nulli cohæret nisi ipsi veritati, quæ similitudo et imago Patris et sapientia dicitur. Recte igitur, secundum hoc quod interius et principale hominis est, id est, secundum mentem, accipitur, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*. Ex illo enim quod in homine principatum tenet, quod eum disjungit à belluis, totus est homo æstimandus. Cætera in eo, quamquam in suo genere pulchra sint, tamen cum pecoribus communia sunt, ac per hoc in homine parvipendenda. (S. Aug.: *De Gen.*, lib. imperfectus, cap. xvi, tom. iii, fol. 242.)

Si enim singula opera Dei cum consideratur à prudentibus, inveniuntur habere laudabiles mensuras et numeros et ordines in suo quæque genere constituta; quanto magis omnia simul, id est ipsa universitas, quæ istis singulis in unum collectis impletur? Omnis enim pulchritudo quæ partibus constat, multo est laudabilior in toto quam in parte: sicut in corpore humano, si laudamus oculos solos, si nasum solum, si solas genas, aut solum caput, aut solas manus, aut solos pedes, et cætera si pulchra singula et sola laudamus; quanto magis totum corpus, cui omnia membra, quæ singula pulchra sunt, conferunt pulchritudinem suam: ita ut manus pulchra, quæ etiam sola laudabatur in corpore, si separatur à corpore, et ipsa amittat gratiam suam, et cætera

sine illa inhonesta sint? Tanta est vis et potentia integritatis et unitatis, ut etiam quæ multa sunt bona tunc placeant, cum in universum aliquid conveniunt atque concurrunt. Universum autem ab unitate nomen accepit. Quod si Manichæi considerarent, laudarent universitatis auctorem et conditorem Deum; et quod eos propter conditionem nostræ mortalitatis in parte offendit, redigerent ad universi pulchritudinem, et viderent quemadmodum Deus fecerit omnia non solum bona, sed etiam bona valde. Quia etiam in sermone aliquo ornato atque composito si consideremus singulas syllabas, vel etiam singulas litteras, quæ cum sonuerint statim transeunt, non in eis invenimus quid delectet atque laudandum sit. Totus enim ille sermo non de singulis syllabis aut litteris, sed de omnibus pulcher est. (S. Aug.: *De Gen. contr. Manich.*, lib. i, cap. xxi, tom. iii, fol. 188.)

Dolor autem quem bestię sentiunt animarum etiam bestialium vim quandam in suo genere mirabilem laudabilemque commendat. Hoc ipso enim satis apparet in regendis animandisque suis corporibus, quam sint appetentes unitatis. Quid est enim aliud dolor, nisi quidam sensus divisionis vel corruptionis impatiens? Unde luce clarius apparet quam sit illa anima in sui corporis universitate avida unitatis et tenax, quæ nec libenter, nec indifferenter, sed potius renitenter et reluctanter intenditur in eam passionem corporis sui, qua ejus unitatem atque integritatem labefactari moleste accipit. Non ergo appareret quantus inferioribus creaturis animalibus esset appetitus unitatis, nisi dolore bestiarum. Quod si non appareret, minus quam opus esset admoneremur ab illa summa et sublimi et ineffabili unitate Creatoris esse omnia ista constituta.

Et revera si pie ac diligenter attendas, omnis creaturæ species et motus qui in animi humani considerationem cadit, eruditionem nostram loquitur, diversis motivus et affectionibus, quasi quadam varietate linguarum, undique clamans atque increpans cognoscendum esse Creatorem. Nulla enim res est earum quæ nec dolorem nec voluptatem sentiunt, quæ non aliqua unitate decus proprii generis assequatur, vel omnino naturæ suæ qualemque stabilitatem. Nulla item res est earum quæ vel doloris molestias, vel blanditias sentiunt voluptatis, quæ non eo ipso quo dolorem fugit, voluptatemque appetit, diremptionem se fugere; unitatemque appetere, fa-

teatur. Inque ipsis rationalibus animis omnis appetitus cognitionis qua illa natura lætatur, et ad unitatem refert omne quod percipit, et in errore nihil fugit aliud quam incomprehensibili ambiguitate confundi. Omne autem ambiguum unde molestum est, nisi quia certam non habet unitatem? Ex quo apparet omnia, sive cum offenduntur, vel offenduntur, sive cum delectantur, vel delectantur, unitatem insinuare atque prædicare Creatoris. Si autem ignorantia et difficultas, à quibus istam vitam necesse est incipere, non sunt animis naturales; restat ut officio susceptæ sint, aut irrogatæ supplicio. De quibus jam satis esse arbitror disputatum. (S. Aug.: *De libero arbitrio*, lib. III, cap. XXIII, tom. I, fol. 1304.)

Unde constamus? Ex animo et corpore. Quid horum melius? Videlicet animus. Quid laudam in corpore? Nihil aliud video quam pulchritudinem. Quid est corporis pulchritudo? Congruentia partium cum quadam coloris suavitate. Hæc forma ubi vera melior, an ubi falsa? Quis dubitet ubi vera est, esse meliorem? Ubi ergo vera est? In animo scilicet. Animus igitur magis amandus est quam corpus. Sed in quo parte animi ista est veritas? In mente atque intelligentia. (S. Aug., *Epist. II*, Zenobio, n. 4, tomo II, fol. 65.)

Sane quoniam te novi, accipe hoc quidam grande et breve. Est natura per locos et tempora mutabilis, ut corpus. Et est natura per locos nullo modo, sed tantum per tempora etiam ipsa mutabilis, ut anima. Et est natura quæ nec per locos, nec per tempora mutari potest; hoc est Deus. Quod hic insinuavi quoquo modo mutabile, creatura dicitur; quod immutabile, Creator. Cum autem omne quod esse dicimus, in quantum manet dicamus, et in quantum unum est, omnis porro pulchritudinis forma unitas sit: vides profecto in ista distributione naturarum, quid summe sit; quid infime, et tamen sit; quid medie majusque infimo, et minus summo sit. Summum illud est ipsa beatitas: infimum, quod nec beatum esse potest, nec miserum: quod vero medium vivit, inclinatione ad infimum, misere; conversione ad summum, beate vivit. Qui Christo credit, non diligit infimum, non superbit in medio, atque ita summo inhaerere fit idoneus: et hoc est totum quod agere jubemur, monemur, accendimur. (S. Aug., *Epist. XVIII*, Cælestino, n. 2, tom. II, fol. 85.)

El discurso debe aumentar siempre en fuerza y animacion.

Cum enim in medio surgens ea dixerit, quæ ignavos perstringere possint; si deinde labatur et decidat, ac prædicendi inopia erubescere cogatur, jam diectorum lucrum statim effluit. (S. Joann. Chrysost.: *De Sacerdotio*, lib. V, n. 5, tom. I, fol. 416.)

Nam quoniam in prolixitatem sermo noster est productus, ac prolixitatem immensam, et quantam nunquam fuit, sic ut metuerent multi, ne verborum multitudine animi vestri alacritas extingueretur, contrarium penitus accidit. Amplius enim cor vestrum incalescebat, amplius desiderium exardescebat. Unde id constat? Majores quidem certe plausus sub finem fuerunt et clariores acclamationes, idemque accidit quod in fornacibus. Ut enim illic initio quidem non admodum clarum est lumen ignis, postquam autem ligna omnia, quæ imposita fuerant, flamma corripuit, in magnam tollit altitudinem; sic et illo die tum temporis hoc evenit. Initio quidem non admodum mihi commovebatur hic cœtus: ubi vero longius sermo productus est, et omnes argumenti propositi partes invasit, ampliorque proseminata doctrina est, tum nimirum ad majorem audiendi cupiditatem exarsistis, ac vehementior plausus erupit. Quo factum est tum nimirum ad majorem audiendi cupiditatem exarsistis, ac vehementior plausus erupit. Quo factum est, ut tametsi me ad pauciora dicenda comparaveram, tum modum excesserim: imo vero nunquam ego modum excessi: siquidem doctrinæ quantitatem non ex eorum quæ dicuntur multitudine, sed ex affectu eorum qui audiunt, soleo metiri. (S. Joann. Chrysost.: *Dæmones non gubernare*, etc., hom. I, tom. II, fol. 247.)

Los discursos no han de ser demasiado prolifos. San Agustin.

Curandum quoque quantum loquamur; ne si ei qui multa ferre non valet, verbum vel exhortationis vel increpationis longius trahimus, auditorem nostrum ad fastidium perducamus. Unde idem prædicator egregius Hebræis loquitur, dicens: *Obsecro vos, fratres, ut sufferatis verbum solatii: etenim per paucis scripsi vobis*. Hoc tamen infirmis præcipue congruit, ut pauca quidem, et quæ prævalent capere, audiant, sed quæ eorum mentem in præ-

nitentiæ dolorem compungant. (S. Gregor. M.: in Ezech., lib. I, hom. XI, n. 16, tom. I, fol. 1286.)

Sicut enim gratus est, qui cognoscenda enubilat, sic onerosus est, qui cognita inculcat, eis dumtaxat, quorum tota expectatio in dissolvenda eorum, quæ panduntur, difficultate pendebat. Nam delectandi gratia etiam nota dicuntur; ubi non ipsa sed modus quo dicuntur, attenditur... is autem est optimus (modus docendi) quo fit ut qui audit, verum audiat, et quod audit, intelligat. Ad quem finem cum ventum fuerit, nihil tunc amplius de ipsa re tamquam diutius docenda laborandum est, sed forte de commendanda ut in corde figatur: quod si faciendum videbitur, ita modeste faciendum est, ne perveniatur ad tædium. (S. Aug.: *De Doct. christ.*, lib. IV, cap. X, tom. III, fol. 100.)

Tractatus quoque de doctrina fidei, de magisterio continentia, de disceptatione justitiæ, de adhortatione diligentia, non unus semper, sed ut se dederit lectio, nobis et arripiendus est, et prout possumus prosequendus: neque nimium prolixius, neque cito interruptus, ne vel fastidium derelinquat, vel desidiam prodat atque incuriam. (S. Ambros.: *De officiis*, lib. I, cap. XXII, tom. IV, fol. 17.)

Sæpe etiam fit ut qui primo libenter audiebat, vel audiendo vel stando fatigatus, non jam laudans, sed oscitans labia deducat, et se abire velle etiam invictus ostendat. Quod ubi senserimus, aut renovare oportet ejus animum, dicendo aliquid honesta hilaritate conditum et aptum rei quæ agitur, vel aliquid valde mirandum et stupendum, vel etiam dolendum atque plangendum; et magis de ipso, ut propria cura punctus evigilet, quod tamen non offendat ejus verecundiam asperitate aliqua, sed potius familiaritate conciliet; aut oblata sessione succurrere; quamquam sine dubitatione melius fiat, ubi decenter fieri potest, ut à principio sedens audiat; longeque consultius in quibusdam Ecclesiis transmarinis non solum antistites sedentes loquuntur ad populum, sed ipsi etiam populo sedilia subjacent, ne quisquam infirmior stando lassatus à saluberrima intentione avertatur, aut etiam cogatur abscedere... Quis enim ferat arrogantiam nostram, cum viros fratres nostros, vel etiam quod majore sollicitudine curandum est, ut sint fratres nostri, coram nobis sedere non facimus; et ipsum Dominum nostrum, cui assistunt Angeli, sedens mulier audiebat? (Luc., X, 39.) Sane si aut brevis sermo futurus

est, aut consessui locus non est aptus, stantes audiant; sed cum multi audiunt, et non tunc initiandi. Nam cum unus, aut duo, aut pauci, qui propterea venerunt ut christiani fiant, periculose loquimur stantibus. Tamen si jam sic cœpimus, saltem animadverso auditoris tædio, et offerenda sessio est, imo vero prorsus urgendus ut sedeat, et dicendum aliquid quo renovetur, quo etiam cura, si qua forte irruens eum avocare cœperat, fugiat ex animo. Cum enim causæ incertæ sint cur jam tacitus recuset audire, jam sedenti aliquid adversus incidentes cogitationes sæcularium negotiorum dicatur, aut hilari, ut dixi, aut tristi modo: ut si ipsæ sunt quæ mentem occupaverunt, cedant quasi nominatim accusatæ; si autem ipsæ non sunt, et audiendo fatigatus est, cum de illis tanquam ipsæ sint (quandoquidem ignoramus), inopinatum aliquid et extraordinarium, eo modo quo dixi, loquimur, à tædio renovatur intentio. Sed et breve sit, maxime quia extra ordinem inseritur, ne morbum fastidii cui subvenire volumus etiam augeat ipsa medicina: et acceleranda sunt cætera, et promittendus atque exhibendus finis propinquior. (S. Aug.: *De Catech. rudibus*, cap. XIII, n. 19, tom. VI, fol. 325.)

La solitud con que procuraba San Agustin ser breve para no fatigar á sus oyentes, se manifesta en muchos pasajes de sus sermones. (In Joann., tract. XLVI, n. 8, tom. III, fol. 1732.—Enarrat. in psalm. XXX, serm. III, tom. IV, fol. 248.—In psalm. XXXVIII, n. 23, fol. 431.—In psalm. XLVIII, fols. 543 y 545.—In psalmo LVIII, serm. I, fol. 706.—In psalm. LX, fol. 723.—In psalm. CIII, serm. II, fol. 1552.—Serm. LI, tom. V, fol. 333.—Serm. CCLXXIV, fol. 1253.)

San Juan Crisóstomo conocía la conveniencia de la brevedad: solia, sin embargo, ser prolijo.

Quoniam plerique hominum, sive ex innata socordia, sive ex nimia sæcularium rerum, quibus se dederunt, cura atque sollicitudine; alii vero ignorantia magna detenti prolixos sermones non libenter audiunt; operæ pretium visum est, multiloquii molestiam resecare: ut sermonis brevitate cum segnitiam eorum tollam, tum iis, qui in lectionis fastidium prolapsi sunt, suadeam ut præsentis orationi magnâ cum alacritate aures præbeant. Ideo nullis verborum nominumque lenociniis utens, sed

dicta sic temperans ut famulo, ancillæ, viduæ, institori, nautæ et agricolæ captu facilia sint, brevitati insuper, quantum fas erit ubique studebo: paucisque doctrinam tradere satagam: atque utroque modo oscitantium auditorum studia excitabo; quo facile et absque labore hæc percipere possint iisque in memoria repositis, lucrum inde reportent. (S. Joann. Chrysost.: Adversus Judæos et Gent. demonstratio, *Quod Christus sit Deus*, n. 1, tom. I, fol. 558.)

Reprehenderunt nos amicorum quidam, quod prolixiora sermonum initia faceremus, etc... Continúa excusando su prolijidad *De mutatione nominum*, conc. III, tom. III, fols. 115 y 120. Se excusa igualmente en los siguientes pasajes: «In principio Act.» hom. IV, n. 3, tom. III, fol. 84.—«Dæmones non gubernare mundum,» hom. I, n. 1, tom. II, fol. 247.—In psalm. XLI, tom. V, fol. 130.

Advirtió el Crisóstomo que su difusión fatigaba á los oyentes, y procuró reanimar su atención á mitad de su homilia V contra los judíos. Es de notar que este largo discurso ocasionó al Santo una ronquera, según él mismo dijo al predicar la siguiente homilia VI, *Adversus Judæos*, orat. V, nn. 9 et 12, tom. I, fols. 642 y 649.—Orat. VI, n. 1, fol. 650.

Del texto.

San Agustín solía, predicando, leer el texto sagrado que tenía en las manos: otras veces en el discurso del sermón iba señalando al Lector los pasajes que debía leer, y también en algunas ocasiones repetía el Santo y comentaba los pasajes que aquél había leído. De todo esto tenemos pormenores muy curiosos en los lugares que vamos á citar. (In Joann., tract. XXXIV, nn. 5 y 6, tom. III, fol. 1666.—Tract. XL, n. 1, fol. 1686.—Sermón XXXVII, n. 1, tom. V, fol. 221.—Serm. CCCLVI, n. 1, fol. 1574.—Serm. CCCLVII, n. 26, fol. 1628.) Pero la lectura más interesante y provechosa sobre el particular, para los jóvenes, será la de la epístola XXIX, dirigida á Alipio, obispo de Tagaste, tom. II, fol. 114.

A quien estudie la Sagrada Escritura no faltarán textos oportunos.

Hoc autem scitote, quod in novissimis diebus erunt tempora gravia. Breve dictum et magna virtus. Quemadmodum enim aromata, non copia et mole, sed natura fragrantiam emittunt, sic et divinæ Scripturæ non multitudine verborum, sed insita virtute, totam nobis præbent utilitatem. Sic incensi natura per se ipsam suavem emittit odorem; si autem injicias in ignem, tunc omnimodam suam exhibet voluptatem. Ita etiam divina Scriptura, per se ipsam suavissima est; cum autem animam nostram occupaverit, ac si in thuribulum inciderit, totam domum suavi implet odore. (S. Joann. Chrysost.: hom. in illud *Hoc scitote.*, n. 3, tom. VI, fol. 281.)

Auditis enim modo scripturam dicentem: *Adæ vero non inventus est adjutor similis illi.* Quid sibi vult brevis hæc dictio: *Adæ vero?* Quare apponit conjunctionem? An non sufficebat dicere, *Adæ?* Non absque ratio; neque curiositatis gratia inquirendi talia, nobis animus est: sed ut diligenter omnia vobis interpretantes doceamus vos neque dictionem parvam, neque syllabam unam in divinis litteris contentam esse prætereundam. Non enim verba qualiacumque sunt, sed Spiritus Sancti verba: et propterea magnum ibi thesaurum invenire licet, etiam in una syllaba. (S. Joann. Chrysost., *In Genes.*, hom. XV, n. 1, tom. IV, fol. 151.)

Magna divinæ Scripturæ virtus est, et multæ in verbis latent sententiarum divitiæ. Ideo par est ut diligenter intendamus, et sollicite scrutemur quo ampliorem utilitatem inde percipiamus. Nam propter hoc et Christus præcepit dicens: *Scrutamini Scripturas;* ut non tantum nudæ lectioni vacemus, sed profundius scrutantes, verum veritatis sensuum percipere valeamus. Talis enim Scripturæ mos est, ut et in parvis verbis plurima sæpe multitudo sensuum inveniatur. Divina enim sunt dogmata, non humana, et propter hoc omnem illam videre licet secus se habere quam humanam sapientiam. Et quomodo hoc? Ego dicam. Illic enim, in humana sapientia dico, omne studium concinnandis verbis adhibitum est: hic vero prorsus aiter. Nullam Scripturæ habent rationem pluchritudinis vel compositionis verborum: habent enim in se divinam gratiam effulgentem, et pul-

chritudinem in ipsa verborum ratione sitam. Et illic quidem post longam et ingentem nugacitatem, aliquid sensus percipere est: hic autem, ut scitis, etiam parva dictio sæpe totum nobis doctrinæ sermonem contexit. (S. Joann. Chrysost.: *In Genes.*, hom. XXXVI, n. 1, tom. iv, fol. 372.)

San Juan Crisóstomo deducia sólidas y elocuentes instrucciones de palabras de la Sagrada Escritura, que mil veces leemos sin penetrar su profundo sentido. Véanse las siguientes homilias: In illud «vino modico utere,» etc. Hom. I, Antiochiæ habita, tom. ii, fol. 1.—In illud «Salutate Priscillam et Aquilam,» tom. iii, fol. 172.—In inscription. Actor., hom. II, tom. iii, fol. 63.—Y la explicacion de aquellas palabras «messis quidem multa, operari autem pauci,» en la hom. XI de las inéditas, tomo xii, fol. 390.

Las palabras de San Hilario, con que concluimos la leccion XV, las hemos tomado del núm. 20, lib. i, *De Trinitate*, fol. 777.

LECCION XVI.

La razon indica cuáles son las partes de que naturalmente se compone el discurso.

Véanse dos pasajes que hemos copiado de San Agustín en la leccion II de esta segunda parte, pág. 188, y otros dos en la leccion IV, pág. 197.

En algunos casos las disposiciones del auditorio hacen innecesario el exordio.

San Pedro, como observa San Juan Crisóstomo, se abstuvo de todo exordio al hablar á los israelitas que habian presenciado la curacion del cojo: «Majore fiducia plena est hæc oratio: non quod in priore timeret; sed quia in homines illi irrisores non tulissent. Quare in illius exordio statim illos attentos reddit, dicens: *hoc vobis notum sit, et auribus percipite verba mea.* Hic autem non habet tali apparatu opus. Non enim segnes erant: signum quippe illos attentos fecerat: unde et stupore, et metu pleni erant: quare non opus fuit ut inde exordium duceret: sed aliunde, quo illos magis sibi conciliaret, gloriam ab se depellendo. Nihil enim tam prodest audi-

tori, quam si orator nihil magni de se dicat, sed omnem superbiam suspicionem tollat. (S. Joann. Chrysost., in Act. Apost., hom. IX, n. 1, tom. ix, fol. 69.)

Nihil ita amicos devincit et conjungit ut ærumna: nihil ita fidelium animos constringit et colligat. Nihil nobis doctoribus opportunius, ut dicta nostra audiantur. Auditor enim tranquille agens, mollis est et ignavus, et moleste ferre videtur oratorem: in ærumnis vero et angustiis positus, in multum audiendi desiderium incidit. Nam cum angitur animus, undique consolationem quærit; non minimam autem sermo affert consolationem. (S. Joann. Chrysost.: In Act. Apost., hom. XLII, n. 3, tom. ix, folio 321.)

El exordio debe ser modesto.—Modestia de San Pablo.

Teneamus igitur verecundiam, et eam quæ totius vitæ ornatum attollit, modestiam. Non enim mediocre est rebus singulis modum servare atque impartiri ordinem, in quo vere præluet illud quod decorum dicitur: quod ita cum honesto jungitur, ut separari non queat... Honestas velut bona valetudo est, et quædam salubritas corporis: decus autem tamquam venustas et pulchritudo sit... Velut salubritas igitur totius operis actusque nostri honestas est, et sicut species est decorum, quod cum honestate confusum, opinione distinguitur. Nam etsi in aliquo videatur excellere, tamen in radice est honestatis, sed flore præcipuo, ut sine ea decidat, in ea floreat. (S. Ambr.: *De offic.*, lib. i, cap. XLV, tom. iv, fol. 33.)

Neque alius quisquam tantas, non dico ocasiones, sed prorsus necessitates habuit arrogantiam, neque tamen ullus alter ita se munde ab omni jactantia subduxit. (S. Joann. Chrysost., hom. V *De laudibus Pauli*, tom. ii, fol. 503.) Continúa el Crisóstomo observando la necesidad en que, por el honor de su ministerio, se veia el Apóstol de alabarse á sí mismo, y con cuán grande modestia cumplia este imperioso deber. A cada paso hace iguales reflexiones sobre la modestia del Apóstol. Véanse los siguientes pasajes: Hom. in hoc. Apostoli dictum, *Utinam sustineretis*, etc., tom. iii, fol. 291.—Hom. III, in Epist. II ad Corinth., n. 1, tom. x, fol. 443.—Hom. XXIII, in Epist. II ad Corinth., tom. x, fol. 594.—Hom. VII in Epist. ad Ephes., n. 1, tom. xi, fol. 45.—Hom. XI, in Epist. ad Coloss., nn. 1 et 3, fols. 404-408.